

In sacratissimo Pentecostes festo, de programmatum festivalium tum quoque Pentecostalium ... disserens, cives academicos ... ut debite ad illa attendant ... hortatur / [Georg Detharding].

Contributors

Detharding, Georg, 1671-1747.

Publication/Creation

Rostock : J.J. Adler, [1729]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gkf7c6hw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

IN
SACRATISSIMO PENTE-
COSTES FESTO,
DE

PROGRAMMATUM
FESTIVALIUM

tum quoque PENTECOSTALIUM
authoritate ac reverentia

differens,

CIVES ACADEMICOS O. O. HONO-
RATISSIMOS,

ut

debite ad illa attendant
magna animi sollicitudine & eâ quâ
par est diligentia
hortatur.

ACADEMIÆ p. t. RECTOR,
GEORGIUS DETHAR-
DING,

MED. D. & PROFESS. PUBLIC. COLLEG. DU-
CALIS, FACULTAT. MEDIC. ET TOTIUS ACA-
DEMIÆ SENIOR, FACULTAT. SUÆ
h. DECANUS.

R O S T O C H I I,

TYPIS IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. TYPOGR.



Meditanti mihi, quo
Ego alloquio, huic spartæ
ornandæ jam destinatus Acade-
miæ Rector, Vos, *Cives Academici*,
ad pie transigendum hoc pente-
costale Festum commoverem, &
cordibus vestris de tabula publi-
ca insinuarem, quæ Gloria DEI & propria salus san-
cta mente recolenda desiderant, occurrebant verba
emphasi non omnino nulla conspicua. quæ leguntur
Actorum XIX. 32. Plerique nesciebant, cujus rei causa con-
venissent; ut parum abfuerit, quin asseruerim, esse
nos inter uno plures, qui nesciant, cujus rei causa Pro-
grammata Festivalia scribantur. Falluntur quippe
Vos inter, qui mori recepto, cui se accommodet
novellus Rector, hoc scribendi genus vindicant, ac
quidem consuetudinem in adhortando inductam
proprio ausu tollere velle, esset impingere in regu-
las

58700 (65)



las Decori, tanto officio, quale Rectorale est, alligati. Nam quam magna vis sit Consuetudini, ut legis instar se habeat, prima hujus scripturæ commendatio altas habet radices in studio pietatis, ut ad hoc omnino respiciendum. En clara verba t. t. Rectoris Magnifici JOHANNIS BACMEISTERI, qui ante seculum in Programmate Pentecostali, anno nempe millesimo, sexcentesimo, vigesimo tertio, ita fatus est: *Horum exemplis* (loquitur de istiusmodi Christianis, qui Christo nomen dederunt in Baptismo, sed castra satanæ strenue sequuntur, & quam pietatis speciem extrinsecus ostentant, ejus vim factis abnegant, atque ita religionem veram ejusque autorem unicum D. O. M. ludificantur) *ne quisquam nostri ordinis, præsertim de tyronibus, insidiarum satanicarum ignaris, docentium culpa abripiatur & seducatur, pio & prudenti majorum Consilio in scholis regiis, quas Academias vocamus, institutum est, ut præter recitationem legum, in quibus singuli de officio suo diligenter commonefiunt, in solennioribus, Festis, quæ ad celebrationem beneficiorum DEI erga genus humanum præcipuorum, ordinata sunt, admonitiones, de cavendis ejusmodi scandalis & exhortationes ad studium pietatis in exercitiis fidei &c. publice proponantur. Aequè ad minus intelligentes scopum Programmatum Festivalium referendi erunt, qui doctiores, non æquè pii magis, lectione hujus generis Programmatum fieri desiderant: hinc novi Rectoris vires nunc in exegesi hujus vel illius dicti classici, in prosterndendis hæreticorum nugis, in technis novaturientium detegendis ac sarcastice conculcandis nosse & æstimare cupiunt; quandoquidem hæ pa-*

A 2

ræneses

ræneses sacræ abhinc vel maxime debent esse charæ, ut *pii* magis, quam *docti* evadamus, & quo nostra gloriatio non sit in ampla doctrinarum segete, quæ tumidos reddere solet, sed in vitæ sanctimonia, quo DEO & hominibus simus acceptissimi. Quid dixerim de his è numero nostro, qui Programmata oculo fugitivo percurrento, finita lectione meditationem de his, quæ inculcata sunt, simul abjiciunt, & quasi ad se non spectarent, illa exteris in signum amicitiae mittunt; an fortean hi inveniant, quo pascere animum queant? Quod numerum *insipientum* augeant, in aprico est. Hæc quippe monita, dum à Magistratu veniunt, qui vices DEI gerit, divina sunt habenda, de quorum supina reverentia æque aliquando rationem habebunt reddendam, ac de omnibus aliis mandatis à DEO mediate proficiscen-
tibus. Ut taceam, quam nos inter non desint, qui vilipendendo hoc scribendi genus ne quidem oculo intueri id dignantur, quasi se non tangant, aut læva mens præfagiat, veterem adhortationum cram-
bem sibi iterum iterumve apponi, cum monitorum sat satis sint, quæ Licentiam Academicam vinciant ac ligent. Hos quippe omnes & qui insuper referri huc merentur esse ignaros sacri hujus officii, quod Rector Academiæ in se sub singulis festis suscipien-
dum habet, nemo prudens unquam diffitebitur. At-
tendant, *rogo*, hi omnes & singuli ad pristinam & nunquam desinentem sollicitudinem Magistratus Academici, quo solennitatem Festorum debita cura vindicet, & animos ad tantarum rerum, quæ die-
bus festis prædicantur mysteria religiose ponderan-
da

da inflammet : Respiciant , *inquam* , ad suspiria ejus ac preces , ut singuli caveant , ne quisquam per dies festos , nec per omne vitæ suæ curriculum sit vel audiat parcus Jehovæ cultor & infrequens , adeo ut hic quadrent verba Doctoris Gentilium PAULI afferentis : se quemvis Auditorum sociis lachrymis ad cultum DEO præstandum serio compulisse : Trutinant tandem vota calidissima in Programmatibus fusa , ut quisque sub festis diebus ad pietatem , modestiam , sobrietatem , concordiam , cultus divini frequentiam se ultro componat ; ut , quæ è suggestu audivit , domi in sinu ruminetur ; ut agnoscendo magnalia DEI & agnita magna animi devotione celebrando , invita etsi carne , psallat DEO , & se vas esse spiritus Sancti bonis operibus undique testatum faciat. Ne vero quisquam *Vestrum* sibi persuasum habeat , non hanc semper mentem fuisse Rectoribus Academiæ , hinc reverentiam Programmatibus habendam à me inculcari ultra debitum ; alloquar *Vos* verbis celeberrimi hujus Almæ etiam post fata Theologi & Professoris B. JOHANNIS COTHMANNI , quibus ego nec elegantiora , nec ponderosiora habeo , quæ afferam. Imo quod ipse Author non noverit meliora ad mentes in cultum Pentecostalem animandas vel abhinc colligere est quia A. MDCL. denuo Rector constitutus nec verbulo mutato idem Programma typis concredidit. Ita vero ille in Programme ad Festivitatem Pentecostes devote celebrandam jam ante nonaginta & quod excurrit annos promulgato :

Anniversariam de Spiritus Sancti adventu
 universa Christi Ecclesia hoc imprimis tempore
 recolit memoriam, nec immerito quidem;
 frustranea namque omnia Servatoris nostri
 parta nobis immensa beneficia fuissent, nisi
 Spiritus Sanctus illa nobis per verbum & sacra-
 menta applicaret. Sicuti enim, ut Poëta in-
 quit, nullus argento color est avaris abdito
 terris, nisi temperato splendeat usu: haud ali-
 ter omnium Christi meritorum non dicam
 exiguus, sed & planè nullus foret usus, nì
 Spiritus S. in cordibus nostris ea obsignaret.
 Fas igitur & æquum est, ut illustre Penteco-
 stes festum, quo Redemptor noster promiss-
 sionem de mittendo Spiritu S. adimplevit,
 summa animi devotione celebremus. Quan-
 ta cum reverentia, studio & ardore Ecclesia
 prisca festivitatem pentecostes celebrarit, vel
 ex Hipponensis Episcopi Meditationibus con-
 stat, quando magna animi devotione Spiri-
 tum S. invocatur, hisce verbis: omnipotens para-
 clete Spiritus, moerentium consolator clemen-
 tissime, jam cordis mei penetralibus potenti
 illabere virtute & tenebrosa quæque laris
 neglecti latibula corusci luminis fulgore
 habi-

habitor lætifica, tuique roris abundantia
 longo ariditatis marcentia squalore visitan-
 do fœcunda, veni jam, veni benignissime do-
 lentis animæ consolator, protegens in opor-
 tunitatibus, in tribulatione adiutor: veni
 mundator scelerum, curator vulnerum: veni
 fortitudo fragilium, relevator labentium: veni
 humilium Doctor, superborum destructor:
 veni orphanorum pius pater, viduarum dul-
 cis iudex: veni spes pauperum, refocillator
 deficientium: veni navigantium sinus, nau-
 fragij portus: veni omnium viventium singu-
 lare decus, morientium unica salus. Veni
 sanctissime Spiritus, veni & miserere mei,
 apta me tibi & condescende pro pitius mihi, ut
 mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique
 tuo mea imbecillitas secundum multitudi-
 nem tuarum complaceat miserationum, Hæc,
 cives Academici, B. August. ut & totius Ec-
 clesiæ priscæ de Spiritu S. fuerunt suspiria, qui-
 bus & nostra merito subjungimus submissa vo-
 ta, qui non minus Spir. S. perfruimur benefi-
 ciis. Quotquot enim Spiritui huic non resisti-
 mus, nec illum peccatis nostris contra con-
 scientiam admissis atrocissimis contristamus,
eundem præsentem, magnaue beneficia con-
 ferente m

ferentem habemus. Scriptura enim prævia, Spiritus S. veram Dei agnitionem in nobis accendit, & mentis nostræ oculos peccatorum fuligine obscuratos illuminat, adeo ut sine illo Christum fiducialiter Dominum vocare non possimus. Distribuit nobis dona sua pro liberamâ voluntate, operatur in nobis motus & fructus, professioni & vocationi nostræ congruentes, subleuat infirmitates nostras, interpellat pro nobis apud Patrem gemitibus innarrabilibus: confirmat nos quod jus adoptionis filiorum DEi consecvuti simus. Illo enim tanquam arrhabone in cordibus nostris de gratia DEi ac divinis promissionibus obfirmamur, quia est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis. Quanta hæc quamque necessaria Spiritus S. sint *χαρίσματα*, soli illi, spiritum hunc in se habitantem sentientes, illumque magistrum agnoscentes intelligunt. Mundus qui hunc veritatis Spiritum accipere nequit, dona hæc non usque adeo suspicit, imo alto supercilio despicit. At queis de meliore luto finxit præcordia Titan, non solum ingens DEi beneficium, Spiritus S. donatione Ecclesiæ exhibitum imo pectore agnoscunt,

scunt, & devoto pectore exosculantur, sed & aliorum, dona hæc fastidientium, ignaviam & cæcitatem deplorantes, cum Poëta christiano ajunt: ô stultos hominum, cæcaque pectora, Brutorum similes: stercora quæritis per discrimina tot, totque pericula, veris posthabitis & melioribus thesauris, cupitis noxia, frivola. Non aurum, pietas sed beat, & fides. Et veræ studium justitiæ frequens. His cælum studiis scanditur arduum. His armis opus est astra volentibus. Vos Academia Cives & tu imprimis ad virtutem, pietatem & honestatem educata juvenus, summa hæc summi Jehovahæ beneficia alta mente repones, mores & actiones tuas ad verbi divini amussim exigas, festum hoc pentecostes in memoriam tanti beneficii institutum debita devotione celebrabis, neque helluationibus aliisque actionibus professionem tuam minus decentibus festivitatem hanc interturbabis. Studiosum te esse, & Christianum quidem memento, quidque nomina hæc te admoneant simul cogita. Arbor bona fructus bonos profert, & arbor putris pessimos edit fructus, & ex fructibus arbor cognoscitur, sicuti ex abundantia cordis os loquitur. Agite

itaque studiosi juvenes actionibus honestis , ac meditationibus piis , cum totius vitæ decursu , tum hisce potissimum Spiritui Sancto , reliquis Trinitatis personis non exclusis , destinatis feriis , incumbite , ac juxta Apostoli monitum , verborum obscœnitatem aut stultiloquium , aut turpem urbanitatem , quæ vobis non convenit , cane & angue pejus devitate . Amarulentiam , rumorem , iram & vociferationem ac maledicentiam , eodem monente Apostolo , à vobis tollite . Quod si feceritis corpus vestrum sanctissimi hujus Spiritus templum constituetis . De Salomonis templo historia sacra refert , illud facta dedicatione gloria Jehovæ fuisse impletum , similiter qui cordis sui templum castissimo huic spiritui dedicaverit , oleum & operam nequaquam perditurus est , sed remunerationem habebit à DEO largissimam . Ab omnibus autem pietatis & honestatis amantibus studiosis , hæc jam dicta observatum iri nullus dubito ; reliquos verò serio hortor & moneo , ut quod non solum pietas suadet , sed & ipsa honestas , gentibus revelata DEi notitia carentibus nota imperat , opere ipso perficiant . De Socrate Xenophon refert

refert quod à gula longè plus omnibus hominibus abstinuerit, multosque à vitiis revocarit & virtutis cupidos reddiderit. Idem auctor Socrati attribuit sententiam quod dixerit : DEUM quanto major esse videtur, tanto magis colendum ac adorandum esse. Nos qui Christiani audimus, ac non solum ex infitis notitiis DEUM colendum esse ac venerandum novimus ; sed & modum cultus ipsi gratissimum ex verbo revelato perspectum habemus, multo magis hæc observemus, nisi Socratem coram tribunali Christianos accusantem aliquando audire velimus. Quia vero sine Spiritus S. lumine nihil est in homine, nostras, Christe, precor doceto mentes, ac in pectora gratiæ arrhabonem nostra effundito Spiritum, moventem casta incendia, & invocationem : fac pars agminis ut tui per omne ævum simus, alacriterque laudes æterni patris decanemus, .P. P. sub Sigillo Academiae ipsis Pentecostes feriis, Anno M. DC. XXXIII.

Intelligitis ne jam, *Cives Optimi*, quis finis, quæ intentio, quod desiderium Magistratus Academici sub conscribendis Programmatibus Festivalibus ? Intelligetis ; confido, qui ex vestro numero altius sapere sibi videntur. Assolent Mystæ Sacrarum Pandectarum, quæ

pollent ingenii fertilitate Prætorem illum romanum, FELICEM appellare infelicem, quod momentum conversionis facilitate alloqui Divi Apostoli PAULI obtinendæ in aliud commodum magis sibi visum tempus rejiciendo spreverit. Quid de nobis fiet, felicibus futuris, modo ipsi non noluerimus. Commendo hanc parænesin animo vobis omnibus & singulis dicato scriptam; utpote ad quam provocaturus ero, quando in die ultimo decernendæ felicitatis, de hoc, quo jam fungor, officio rationem reddere jubebor, ne infelix obmutescere cogar. Vestrum itaque fuerit, itidem de vestra felicitate prospicere, ne infelices prædicemini. Poteritis, quibus vos inter hoc volupe est, Programmata festivalia, sic quoque hoc præsens habere pro consuetudinis in diebus festis servandæ modulo: pro scripturæ genere cerebro magis quam cordi litante: pro opella inter superfluas si non tædiosas referenda & pro quo non! dum sententia æternæ beatitudinis in horum, quæ Programmata monent, amplexu vel rejectione erit reposita, cautius cum scriptis hujusmodi mercandum esse ultro confitebimini. Infelicium autem contemptorum in barathro æternarum miseriarum sat plena sunt omnia. Faciant nos, quod opto, imo, quod spero, faciant nos omnes & singulos aliena pericula cautos.

P. P. FERIA I. Pentecostes.

A. MDCCXXIX.

